

Hist. lit.
1308

IN DIBIT VM

NOBILIS ET MAGNIFICI VI-
RI, D. GEORGII SIGISMUNDI SELDII,
IVRIVM DOCTORIS, ET SACRAE ROM. CAES.

Maiestatis intimi Consiliarij, &c. Epicediū,
ad fratrem eius Vterinum, Clarissimum

Virum, D. Ioannem Hegenmillerum.

V. I. Doctorem, & Cameræ Im-
perialis Assessorem, per M. Ioan-
nem Sprengium Augusta-
num, officij, & grati
animi ergò con-
scriptum.

VIENNÆ AVSTRIÆ EXCV-
debat Michael Zimmerman.

Anno MDLXV.



IN OBITVM NOBILIS ET
MAGNIFICI VIRI, D. GEORGII SI-
gismundi Seldij, Iurium Doctoris, & Sacræ
Rom: Cæs: Maiestatis intimi Consiliarij, &c.
Epicedium, ad fratrem eius Vterinum, Clarif-
simum Virum D. Ioannem Hegenmillerum.

V. I. Doctorem, & Cameræ Imperialis
Assessorem, per M. Ioannem Spren-
gium Augustanum, officij,
& grati animi ergò
conscriptum.



*Heu quām fortuito pereunt mortalia casu,
Quām ciō res nostras alta ruina trahit?
Heu quām vita fugax, fragiliq; simillima vitro est,
Fllisum leviter, quod superefse nequit?
Ceu rosa purpureis ornata coloribus agro
Emicat, & summo mane, decora nitet,*

A ij Vespe-

Vespere sed solis calido marcescit ab igne,
Ipsiusq; paruo tempore splendor abit:
Haud secus una dies nostros furatur honores,
Una dies vita commoda cuncta rapit,
Mementoq; breui vanissima gloria Mundi
Cessat, q; in ventos debilitata redit.
Orbe sub hoc nemo sauisima spicula Mortis
Effugit, in cunctos nam sua tela iacit,
Non genus, aut formam curat, non respicit annos,
Sub necis Imperio militat omnis homo.
Certa quidem mors est, sed nil incertius hora,
Qua nos ceu Messor gramina falce, secat.
Non parcit doctis, aut quavis arte peritis,
Omnibus est unum quod graduntur, iter.
Insuper, ut tellus spinas, q; plurima nutrit
Semina, que vita noxia damna ferunt,
Econtra fruges plerunq; recusat amanas
Reddere, que multum commoditatis habent:

Sic

Sic etiam nostro pauci nascuntur in Orbe,
Tempore, qui factis nomina celsa gerant,
Qui sibi non tantum vivant, sed publica curent:
Munera, qui patria consuluisse queant,
Et multis quorum praelata scientia proficit,
Ex ipsis paucos hic reperire datur.
Ast homines nauci late dominantur, eorum
Cernitur in terris haud numeranda cohors.
Ingenio stolidos, quos nulla periitia rerum
Informat, longo tempore Mundus alit,
Istorumq; dies multos tenduntur in annos,
Qui verò solers mentis acumen habent,
Et possunt alios tenebrosa nocte uagantes,
Ad rectam lucis cen renocare viam,
Longius his vita producere stamina, fatum
Inuidet, hos mortis vis truculenta rapit:
SIC etiam toto nuper spectabilis Orbe,
SELDIUS ad cali regna reflexit iter.

A ij Nomen

Nomen id excelsum cui non peruenit ad aures?

Vir fuit ingenio nobilis, arte valens,

Cesaris Orator summus, quo consule mirum

Hactenus Imperij floruit omne decus.

Dulcis mellifluso cui sermo profectus ab ore

Semper in arcano pectore natus erat.

Romanos latè fines prudentia rexit

Filius, in toto lumen is. orbe fuit.

Quantos sustinuit sedato corde labores,

Quam vigili quoduis mente subiuit onus?

Perplexas aptè potuit discernere causas,

Et studuit lites: composuisse rudes,

Omnibus ex equo non inservire grauatum,

Suppressis sed opem ferre paratus erat,

Filius integritas ad splendida tollitur astra

Laudibus, aeterno tempore viua manens.

Plura quid enarrem? virtus eluxit in ipso

Omnis, ut è speculo forma venusta nitet.

Huma.

*Humanum sese cunctis praestare solebat,
Nec fastus mentem solicitabat iners.
Nam nihil est magnum, quod idem placabile non sit,
Et Mansuetudo grandia corda decet.
Quis dignè poterit summas expromere laudes,
Vita quibus S E L D I condecorata fuit?
Mens cupit Herois celeberrima dona referre,
Sed velut infanti vox mihi verba negat,
Sermonem virtus, ars, & sapientia vincit,
Qua venit in tanto confacienda viro:
Nam verò casum mortis superauit acerbum,
Nam fruitur requie mens sine fine sua:
Ipsum tota quidem Germania plangit ademptum,
Luctus in Austriae surgit ubiq; plagis.
Ceu mater proprios deflet sua pignora natos,
Exprimit & lacrymas nocte dicq; pias:
Patria sic misero gemitus plangore Vienna
Edit, & assiduis fletibus ora rigat.*

Maximus

*Maximus ipse Virum, diuino numine Caesar
Luget, & infando corda dolore grauat.*

*Vxor at in primis tristis circundata vultu,
Coniugis ex animo funera mœsta dolet.*

*Tu quoque discessu fratris Clarissime Doctor,
Fngemis, & merito te fera fata mouent.*

*Sed pia sustinet quoque consolatio mentem,
Anxia ne luctus pectora rodat Arox:*

*Vnde grauis sit mors, & cur? Ecclesia nouit,
In sanctos prorsus nil ea iuris habet.*

*Felix, in Domino vitam quicunque relinquit,
Corporis & clauso carcere liber abit.*

*SELDIVS etherea cum sanctis degit in aula,
Filius & mundo fama superstes erit,*

*Consueto donec voluuntur sydera cursu,
Herorum quoniam non aboletur bonos,*

*Sed magis illorum post mortem gloria serpit,
Nomen & ad cœli tempora suprema volat.*

Exigua

Exigua corpus recubat telluris in urna-

Sed mens angelicos inspicit usq; choros.

Nang; tabernaculum tenui de puluere cretum,

In cineres, fato sic statuente, redit,

Ossa tamen gelidis modò commendata sepulchris,

Prodibunt certa post rediuita die.

Cum solio Christus Iudex residet in alto,

Et sua pro factis premia cuiq; dabit,

SEL'DIVS aeternum tunc reportare Coronam

Dignus erit, nec non luce perenne frui.

Ergò tuos, oro, Doctor Celeberrime luctus

Abiye, nam fatum quis remouere potest?

Stat finita Dei, nec deuitanda voluntas,

Omnibus, in terra vinit ut exul homo,

Nemo sibi debet proprias hic figere sedes,

Est in sublimi patria nostra loco.

Sed mihi, ne videar fando transcendere metam,

Nunc finem scriptis imposuisse placet.

Tu,

*Tu, que Melpomene dictauit vilia raptim,
Carmina, consulito Doctor Amande boni:
Non opus, at grata spectes penetralia mentis,
Nam certè meritis debo multa tuis,
Atq; tua fidei me totum tradere fas est,
In Christo longos viue, valeq; dies.*

T. E.

Deditiß:

*M. Joannes Spreng
Augustanus Sc.*